SCENOGRAPHIA HORTI BOTANICI MANTUANI. AUCTORE DOMINICO...

Domenico Nocca



Clarissimis Viris

Paulo Usterio, Turicensi,

Aloysio Brugnatellio, Papiensi,

Dominicus Nocca

Mantuæ Botanices Professor

S. P. D.

Quod vestrum alter suis primum Turicensibus: tum nostris alter Papiensibus Typis mei Academici Horti historiam rursum emiserit, humanitate unice Vestræ id me debere confiteor, qui clare satis intelligo, & vere sentio talem, tantumque honorem neque per se lucubratiunculam, neque certe me ejus auctorem promeruisse.

Ac si quidem honorificentissima hæc beneficia deferentibus, expressa memoris ut eum maxime animi significatione est respondendum: finire utrique, Viri Clarissimi, ut quem hactenus tacite solummodo corde gessi, paucis modo, at libere aperteque tandem vel publica gratiarum actione gratum promam animum, meumque palam in vos studium, observantiamque declarem.

Jam vero cum antedictam superioribus scholasticis feriis perinde otiando, meam denuo perlegerem historiam, id mihi accidisse video, quod plerumque scriptoribus usuvenire solet, priora potissimum juvenilibus annis evulgata a se opera, post aliquod ab editione tempus, omni remota philautia iterum evolventibus: qui scilicet vitiosa eadem sæpenumero deprehendunt, quæ forte in antecessum absolutissima ipsi sibi facile persuaserant. Sane ad me quod attinet, verissime possum dicere, maneam quodammodo, & imperfectam meam mihi visam esse statim opellam. Nam cum Iconem, & totam simul Horti humum, & varias item plantas capientes, dispertitas areolas exibentem, opusculo adjecerim; de ædificatione postea dexteram in introitu Vireti partem ferme totam cingenti, plene conticui: de eaque, ipsa pariter in Icone repræsentanda, nec fortasse quidquam tunc temporis cogitavi. Eo autem peropportunam magis, quin hanc etiam modo censui necessariam additionem, quo magis in præsens optimos plures idipsum fecisse Botanicos animadverti: Scopolium videlicet in suo opere: Flora Insubriæ: cujus libri frontem Prospectiva adauxit; ornavitque non tam Hortum Ticinensem universum primo conspectu sistens; at quoque Caldaria, Aedesque quin suas. . . . Quod profecto Tillius in Catalogo Horti Pisani, Michelius suo in Horto Florentino, Joannes

Baptista Ferrari Jesuita suis in operibus, aliique bene multi Botanici præclarissimi ante Scopolium jam optimo præstiterunt. Etsi autem iconographicam istorum aliquę ædificiorum adstantium tabulam haud ediderint: di cunctis attamen, proprio annexis Horto, Botanicis commodis copiose loqui minime prætermiserunt.

Proditis itaque; atque a Vobis etiam, ut opinor, æquis admodum caussis agnitis, quamobrem hanc modo condere, & evulgare Mantissam decreverim, agite jam o generosi Viri Clarissimi; meis adhuc ipsi Vos studiis liberaliter favere pergite, optatisque una insuper indulgete; & pulcras hercle, easque, ut alios mittam, Hallerus jamdudum, ac Gesnero utroque: nunc autem Lachenalio præsertim doctissimo celeberrimas, vel ad breve temporis spatium, Helveticas unus linquens Alpes; ab alatice studiorum Insubriæ, atque ob insignem literatorum Hominum cœtum, frequentissimamque Regiam scientiarum Academiam ubivis plus semper in dies notissima Papia urbe, paulisper alius quoque secedens. ad uberrimum hoc inimitabilis latinorum Epicorum Vatum Principis natale solum confestim utrique contendite, propere adventate. Atque inspecta aliquanto, si placet, Agri Mantuani lætitia, & Tityris una & Alexiis, dialogos olim, hæc inter arva, improviso fuso carmine belle texentibus, canentibusque cum laude memoratis: recta hine ferte pedem in Urbem ambobus, credo atique perplaciturам. At ne Vobis meum, novam vix civitatem ingressis, Academicum facile Hortum quærentibus, minusque viarum peritis, lad portas hac illac, ad lacus, ad alia urbis satis amplæ loca ob id perreptare frustra contingat; certo actutum adoceri curate, qua Templum exstet in parte divi Marci titulo nuncu-

patum: cujus quidem magni e regione Ostii magna pariter stat Horti Janua curioso cuique quotidie patens, maximeque docto; ac stirpium amico, atque contemplatori.

Nuperum interea, quem Vobis hic adjunctum offero, ac sisto, Viri clarissimi, summa plane a Dominis Sigismundo Michinio, & Tirellio Dominico, mea quidem sententia, arte perfectum Mantuani Vireti Botanici Typum, excipite: eumque si Vobis item gratum, probatumque comperero; sane rursum ipse mihi, quod nove hunc integreque delineandum, formandumque jusserim, laudatique ejusdem effectoribus Vestrum quoque nomine gratulabor. Sed ad rem descendamus, propositumque aggrediamur.

Paullo supra jam dixi, contra magnum Fani Divo Marco dicati ostium grandem pariter Horti hujusce Botanici januam consistere. Duabus hæc porro faxis affabre elaboratis, ac formæ quadratæ columnis, A majore (literis semper utar majusculis) A, repeto, majore in Typo signatis, atque ad ejus latera jacentibus attollitur; quarum equidem non modo est ad elegantiam, venustatemque positio columnarum: sed ad usum etiam, interjectos videlicet bipartitos cancellos ferreos, jam in Historia modo aliquo descriptos sumtuoseque confectos ad libellam utrinque sustentandi. Bis ter ulnarum, totidemque itidem Mantuanæ Mensuræ unciarum; pedes novem, & Parisios pollices quatuor præter propter coæquantium, intervallo columnæ inter se distant, ac sejunguntur; totamque propterea interpositum id binas inter columnas spatium Horti exibet januæ latitudinem; cui ad artis præscriptum sua ex æquo altitudo respondet. Sane primo istæc intuitu certo Vos monent, Clarissimi

Viri, principem hunc in Academicum Viridarium esse aditum debere; plaustris item pro re nata reclusum: quoties nempe vel ob ejusdem culturam humi, aut ad novum exstruendum, sive ad vetus ædificium instaurandum plurium una rerum, ac ponderosiorum necessaria intus Hortum advectio: aut ipsi inutilium sit foris exportatio facienda. Præter spatiosam hanc, & vero præcipuam Horti medio constitutam, majoremque ejus in semitam recta ducentem januam, Portula nonnihil inferius extat alia dextrorsum in hujusce prægrandis ingressu, ad creberrimos quotidianos aditus, usus que vulgares, ac consuetos aptissima.

Splendidioribus interim jure meritoque Vobis, Usteri, ac Brugnatelli, foribus reseratis jam pono vos intromisfos: oroque propterea, sitam meridiem versus ad Horti dexteram, humum B notatam, ac Triangulum referentem continuo inspiciatis. Uno fere abhinc lustro Vindobona Ticinum mei domum perrectus: Ticino dein huc ad Botanicam profitendam appulsus, nedum locum istum haudquaquam excultum, at neglectum prorsus vidi, atque obliteratum: & qua tabidis etiam & graveolentibus: qua inutilibus, malisque plane exorientibus omne genus herbis onustum. Aedificiorum quoque fragminibus, lapidum, jejunæ pariter, sterilisque terræ tumulis, prominentiisque aliis asperatum: foveis itidem alicubi intercisum adeo hunc ipsum reperi, ut visu horrens locus videretur, & esset. Expurgandum itaque, ad libellam omnino componendum, arandum, perpoliendumque curavi: ne inter bene distributam planitiem reliquam, ceteræque terræ benignitatem, lætitiamque tam male adhuc audire ille perseveraret. Verissimum equidem, nimio me impendio territum, circumeuntem, velut

optavissem haud reducere ad rectam lineam parietem potuisse.

Illud hinc, veteri muro retento, eoque passim, aut concavo, aut exporrecto, nonunquam anguloso: illud, inquam, necessario sequitur maximum ejus latus unde viginti Mantuanas ulnas, ac sex pollices longitudinis obtinere: tres pariter supra decem ulnas, quod est minimum: sexdecim denique medium aliud numerare atque complecti; unde magnum hercle forinsecus in ipso statim virium apparet, ac summa prope deformitas. Tantam attamen sum ego conatus ratione aliqua obtegere, & quasi pensare muri inæqualitatem, suppositæ humi æquore ad graphidis scientiam, uti situs ferebat, variatim effecto, dissimiliterque colorato, atque efflorescente. Aliquot enim dispari bus, atque optimis locus hic nunc intus Plantis ornatus, herbisque coronariis recto satis ordine, ac posito consitis circumundique septus, exsplendescere quodammodo ad præsens, bene modo oleæ incipit, gratioremque se reddere, qui pessime adeo olim habitus, in vituperationem jure venerat plurimorum. Mihi vero tantum sane nunquam placere possem, quam tum quando ab iis, quæ vitiosa sunt, observandis vere valerem universos omnes abducere.

Verum nolo vos in his diutius detinere; duosque potius hic proxime, ac sub oculos stantes gradus nos una statim conscendamus. Novus en illico Hortus offertur C in figura signatus vigintiquinque Parisios pedes, decemque vix habens pollices magnitudinis, quique propterea totus brevi temporis spatio inambulatur, ac visitur. Peculiari duntaxat Professoris domus usui datus hic videbatur; quippe qui nec publici antehac pars erat Viretí neque idcirco cum eo alias communicabat. Ego

vero ostiolum paullo ante aperire mandavi: quo facilior, ac liberior de uno in aliud Viridarium cunctis foret in posterum, me tamen assentiente, transitio. Cæterum non hæc unice ad id faciendum me caussa movit, at simul, eoque magis verum, quod inde provenit, certissimumque emolumentum. Adverteram Hortos plerosque Botanicos locum seorsim tenere Plantis singularem accurationem deposcentibus: ratioribus quoque (ne invidus quisquam clanculum laceret, ramos avidus alter, aut femina diripiat), majorisque existimationis, ac pretii recipiendis; ociusque itidem quotquot, nulloque negotio ab improvisa cadenti grandine submovendis. Nostro igitur Academico Vireto talem, si loqui potuisset, jamdiu rem non injuria desideranti cum simplici plane modo atque omni adhibita parsimonia, citissimeque simul voluerim opitulari, præfatum in murali hujusce Hortuli ambitu subito ostiolum adaperui. Ita porro alternus, tum quando ipse permitto, transitus patet: & is quidem (viretis modo proximeque se inter communicantibus) de uno in aliud profecto expeditissimus. Quo autem delicate magis, exquisiteque, reliquis sane cariores, me propius, coramque veluti semper herbæ consistant, easque a temporum etiam injuria, rapacitateque primus omnium egomet valeam vindicare; quotquot, statim a portula condita, in privatum hunc hortulum sine labore detuli, subtraxique confestim ab intuitu contactuque multitudinis insciientis. Id quoque habet commodi novus iste tanta mea in vicinia, præsentiaque propemodo herbarum hujusmodi positus, quod singulares præcipueque dum florent, super his, ceu crebro in dies ante oculos observantibus institui facilius possent observationes; earundemque uno tempore vivis ad naturam coloribus imagines felicius papyro saltem effingi.

Sed diu nimis, & longum de his locutum esse me video, vereorque Usteri ac Brugnatelli, magnopere, ne doctissimos rei una meique sermonis multum jam fortasse taeduerit. Utinam quod mea jure vereor prolixitate, vobis contigisse, vestra in me indulgentia minime accidisset! Hac spe illectus, ac pene ratus fiducia sic ultra progredior. Si fama inclytus, rerumque rusticarum scriptor diligentissimus Columella monstrabat, docebatque agricolae casulam praedio ad colendum sibi concesso opportere esse finitimam, par utique necessaria videtur sagacitas & providentia quoad Hortos Botanicorum. Quapropter, vel ob id, laudare satis nequeo nobilissimos studiorum in Insubria Austriaca Regio nomine Praesides, qui conterminas, intimasque Hortis ne dicam Botanicae Professoribus incolendas domos assignarunt, omninoque mea sic est publico coempta sumtu, ac Mantuani Professoris Domicilio duobus circiter ac dimidio tantum lustris fixa, & constituta: nam ante cum de olitorio in Academicum Viretum ager hic verteretur, prior huc missus Botanices Magister Helblingius tanta, ut jam innui in Historia aedium propinquitate carebat. Litera D hujusmodi, quo & ipse nunc utor, exhibet aedificium, homini medius fidius aptissimum ad quem propio sui munere spectat, generalem, singularemque plantarum curam habere, viridarii custodibus, cultoribusque praeesse, accedentibusque in doctrina Vegetabilium eruditis, nec non curiosis, ac per otium tantummodo illud deambulantibus (si dignitate, vel equestri Ordine, aut Civico eminent) operam consestim suam ex officio, urbanitateque commodare.

Potior utraque aedium frons quatuor, superiori saltem in parte (nam in inferiore, quominus tot sint, fat spa-

tiosa prohibet biforis janua) quatuor inquam bene amplis, proportione servata, luminibus prædita, quorum vel ex uno latere tria universum quoquo versus Academicum hortum prospiciunt. Magnum id hercle horto ipsi, ac Professori Præfecto in omne tempus bonum; qui studio intentus suo, adlaborantes perinde videt, torpentes, si qui forte sunt, urget, increpatque Agricolas: iisdemque nullo incommodo, temporisque jactura facienda quæque præscribit. Quadraginta, unoque amplius Parisiis pedibus, octo insuper pollicibus, totidemque in longitudine lineis; octo & viginti pedibus quatuorque ad mensuram similiter Parisiensem sua in latitudine lineis tota est domus dimensio. Hæc clare ostendit magnitudo, non tam congruenti Professoris, suorumque famulorum domicilio domum sufficere: verum etiam proprio a rebus seorsum aliis custodiendo Herbario, mineralibus, insectis, plantarum delineationibus, studiosorum quoque discipulorum usui, retinendis, conservandisque unum alterumve expeditum superesse Conclavium. En Viri Clarissimi per me facta meque nec fortasse sentiente, Vobis enunciata domus partitio: ubi quidem suis digne scriniis, & mineralia, & insecta, & herbarium proprium non exiguum a Scopolio partim ære meo acquisitum, ab amicis partim, variisque meis itineribus, laboribusque comparatum; & plantæ demum reconduntur, quas horis subsecivis delineavi, easque etiam persæpe colorando ipsam amplius studii reddere pro copia mea naturam.

Quod si permagnæ Professoris ædes sunt commoditati, haud certe minus, suo vel in ordine, præsert commodi subsequens, litera C notata, earundemque dextero adhærens lateri concamerato Porticus multiplicis, optime æque profecto arcuationis. In dimensionibus,

structuraque eleganti exponendis non immoror, summque potius, unicuique ad rem nostram, laudo utilitatem. Domo enim egressi per hanc statim eundo viam, nec aere aestuante, neque pluvia irruente, nec flantibus undique ventis: nulla unquam, uno verbo, deterrima licet tempestate praepedimur hac ad locum F venienti: amplum ubi, pulcherrimumque est Caldarium designatum. In praemissa ad Mantuani Horti catalogum anno millesimo septingentesimo nonagesimo primo una cum ipso mea edita epistola perspicue me significavisse recordor, jam tum laudati jacta fuisse Caldarii fundamenta; quod equidem omni rursus affeverantia confirmo; eodem tamen, quo tunc, ingenuo animo palam nunc profero, candideque fateor, aedificationem minime ultra processisse: vitium utique in Academico Horto fatis conspicuum: nec alteri sane, quam praesentium temporum iniquitati, angustiaeque tribuendum. Spero autem, confidoque fore, ut gloriosius posthac compleantur incepta. Certo namque ac dudum novi, sapientissimos Regii Mantuani Gubernii Ordinis Viros, Studiorumque Praefectos cum Murraio celeberrimo in *Horti Gottingensis Prodromo* recte sentire, Vireta Botanica nedum reapse stare non posse, sed ne cogitatione quidem effingi absque optimo Caldario posse.

Integra interea temporis jam extat aedificii forma venustissima prorsum, atque ad Horti profectum, laudemque utilissima. Felicius sane imposterum cuncta provenient! Unde quam, suscepto vix munere, summam ipse in ponendis, me expetente, fundamentis, Moderatorum tunc urbis in me comitatem, studiumque in Patriam hanc suam sum admiratus; Caldario festinanter absoluto, experiri etiam cito nunc possim, plenissimamque insuper erga me, etsi minus dignum, amplissimi

Regii Magistratus liberalitatem eximiam, ac studium pariter ad urbis decus, publicamque plus semper utilitatem, vel hac in re, adaugendam æquissime commendare. Atque ut in eo, cumulate postquam factum fuerit describendo, operæ exinde meæ ac labori parcam, Typo supposito vobiscum loquor maxima nunc in antecessum verissimaque delectatione. Sexaginta & unus Parisii pedes, septem pollices cum dimidio longitudinem; quatuordecim æqualis mensuræ pedes, pollices quatuor, sex lineæ latitudinem: compares denique vigintiquinque numero pedes uno cum pollice, decemque lineis totam constituunt altitudinem, universamque hinc dimensionem. Ejus ceu quælibet plus minus alia, Horti hujus academici positio directe, ut ipsi vos cernitis, spectat in meridiem; figura, profunditas, divisiones, vitreæ fenestræ, parvi quoque furni: quæque postremum cum regulis a Domino Adansonio præstantissimo traditis Tomo I. pag. 128. egregii sui Operis: Familles des plantes — concinnunt adamussim. Nostrum insuper id Caldarium ad consilium illud assequendum videtur conducere, externi nempe aeris quoque calore in tempore proficiendi, claustro vitreo nullis neque a fronte neque a lateribus, muris occluso. Caldaria ita constructa cæteris Adansonii ejusdem sententia sunt præponenda Batavorum quanquam ritu probe confectis, Ananasisque habendis pro more, & consuetudine designatis: quæque etsi admodum pulcra, suis attamen in omnes partes parietibus septa liberiori aeri ac soli aditum sane negant; crebroque hinc nos apud multum ob id laudati fructus ingenitî sui saporis amittunt.

De cœpto novo Caldario, sed adhuc infecto satis jam verborum est. Ad propinquum sub Litera G

positum, nulla interjecta mora, conclavium accedamos consistamusque paullisper. Serinius istud, pluteisque scrinissimi Decessores mei ornatum voluere, quo propria in illis asservarent herbaria: apta ad sationem suis quæque distincta capsulis, femina in hisce recondenderent; sicuti modo etiam plerumque ad id plutei adhibentur. Studioso quoque Juvenum discipulorum recessui, literatoque otio: supellectili pariter, instrumentisque Horti continendis idoneum. Caldario denique ab initio interim facto, fignatoque M (de quo postea sub finem dicam) adeundo, necessarium omnino conclave: cum alia in ipsum nulla pateat ingressio.

Ad scholasticam, quam litera H vestris fat perspicue, Viri clar^mi, oculis subjicit, Aulam transeamus. Si quidem a Vireti semitis majores per valvas ingredi placeat, lapideas decem graduum scalas, leniter tamen acclives, ac lateritiis ultro citroque spondis munitas, oportebit ascendere. Si vero hanc ipsam velimus viam insistere, eodemque ad aulam semper ire sub tecto: foris statim a parvulo tunc viso conclavi, alterum in angulo muri; hic proxime contra nos stantis, ostium bene amplum sese præbet conspiciendum. Ternis vix passibus ecce jam nos per istud in scholam intromissos. Duodeviginti Parisienses pedes longitudinis: quatuordecim compares exacte pedes locus iste numerat latitudinis; plenissimoque, etsi excessus valde & spatiosus, gaudet lumine; quod amplæ admodum, hinc & illine a majoribus valvis, reclusæ fenestræ large sibi sufficiunt. Præclarissime igitur scopo congruit Botanicas in tempore prælectiones tradendi, explicandique. Præter subsellia, abacosque ad eas commodissime a discipulis conscribendas, ingens contra valvas, ac lomina, Magistri exedræ circumjecta, rotundæque figuræ hæc fixa sem-

per est tabula; quam plerumque Auditores post dictata eingentes, & differentem sic facile Professorem exaudiunt; & Plantas, de quibus sit sermo desuper ipsam jacentes, cominus quotquot intuentur, manu prehendunt, ad libita attrectant, semel, iterum, ac tertio, si velint, observant accuratissime. Nihil hoc ad rem, auditoresque edocendos, meo judicio, praestabilius. Meridialis optimus situs, dum a scholis in hieme pro more vacamus Malorum aureorum plantas excipit, egregieque tutatur a frigore. Nunquam enim pertulisse damna praesensi: modico quanquam Aula eadem vix fuerit igne tepefacta, hiberni licet anni proxime elapsi diuturna adeo, summaque bruma rigente. Aliud dextrorsum a Professoria exedra, atque e regione alterius, quod modo aditum in scholam praebuit, Vos ante aspicite, paris omnimode magnitudinis ostium. Quorsum id vero! Ita vosmet dicentes audire mihi videor. Consulto nempe communicantes tot sunt, eodemque sub tecto effectae sunt januae: quovis unde tempore, tempestateque Conclavia haec singula commode semper viserentur. Hinc itaque nos una statim transeuntes, ad amplum magis, formosiusque I notatum Mantuani Horti Academici atrium lacunati quoque depicto insignitum properemus. Tota, neque profecto indiligens ejus constructio Vos continuo Botanicae Facultatis peritissimos certiores facit, uni perinde Frigidario locum hunc deservire: triginta sex oblongum, viginti altiorem, ulnis sexdecim latum, praeter quatuor, ac decem uncias nostrae hujus mensurae vulgaris. Pene ausim dicere, Mantuanum Frigidarium Italiae cunctis, & magnitudine, & dignitate praestare. Septem insuper latericios amplos gradus, duplicique idcirco, supra unumquemque, ordine ac linea, stir-

pium, & herbarum testæ concinne sic disponuntur, locanturque; ut integra sedulis Horti custodibus copia sit libere quaquaversus circumeundi, Plantisque singulis alacriter, & quam rectissime providendi. Gradus isti pedetentim in ascensu decrescentes, Plantarum earundem adspectum, prospectum plus multo venustum, enitentemque reddunt, atque hilariorem. Et ne belle in luco collectis necessaria adeo lux unquam stirpibus desit, quinque, Viri eruditissimi, ad meridiem vergentes, ingentesque fenestras contuemini, quæ lucidissimum ubivis sursum, deorsumque per Atrium lumen effundunt. Coctis lateribus ad lævam, dextramque per me Caldarium erectum, atque utrumque quidem, ut par est, Incalescens, tantum semper caloris pabulum incluso aeri suppeditent, quantum sufficit, ne plantæ patiantur, ac frigeant in hibernis. Verum cum nihil sit tam rite peractum, ut omni prorsum defectu careat; sic aliquod vel in pulcherrimam ædificationem facile censeo vitium irrepsisse: aut saltem, nec sine caessa, fieri, eandem pro Re botanica potuisse meliorem affirmo. Si in meo cogitato, consilioque sum falsus: Tute, mi Usteri, Tuque pariter mi Brugnatelli, quos tanquam præsentes elloquor, mihi palam in ore dicite, meque confestim ab errore liberate. Gradus isti (fari pergo) etsi magnam pro eorum amplitudine, Frigidarii partem necessario occupantes, ab anteriore nihilominus Viretum, meridiemque spectante, muro septem pedibus dirimuntur, atque in oppositum tandem desinunt parietem interiorem. Solares ergo radii binos, ternosque in hieme infimos vix gradus feriunt: ad editiores autem ob tantam e muro distantiam, toto semestri spatio neutiquam pertingunt; atque ita plerasque foventis proxime

lucis

ineis beneficio, longa die fraudatæ ac destitutæ, ipsam versus, natura quadam sua, plantæ feruntur, incurvanturque: & tamdiu exoptatæ néc obtentæ unquam lucis amore sensim languescunt. Ego certe, si quo tempore locus ad id parabatur, Horti Præses hic extitissem, propius fenestras statui gradus maluissem, plantarumque caussam apud Optimates pro viribus perorassem. Haud enim maximum, præstantiusque id esse puto Horti Academici compendium, elógiumque: quod liberiorem alicubi, magisque spatiosam curiosis adventantibus transitionem relinquat. Satius immo duxissem, sic gradus ipsos in girum fundari, ut excentricum potius, quam concentricum circulum referrent, atque imitarentur. Ad hunc siquidem modum & comptior, & visu, conspectuque ordo gratior, & plantis plus minus ita semper quotquot insolatis, procul dubiò fructuosior dispositio evasisset.

Horti Scenographia tandem in Caldario terminatur K inscripto; quod equidem Vobis Rei herbariæ summe intelligentibus rectè sat indicant lumina vitrea, quæ foras in Hortum prominent, pauxillulum reclinata. Hocce in Conelavi undecenarum ulnarum longitudinis, latitudinis novem, stirpes brevi olim mucescebant ex una lucis inopia. Laxatia itaque bene multum, aptatisque, ut modo sunt, Vosque ipsi perspicitis, Viri Clarmi, fenestris, interea sum enixus per exiguum istud, in laudato Conelavi novissime Caldarium effectum, plantas curare, easque tueri; donec nempe magnum alterum absolvatur, quod vehementissime sane cupio, expectoque avidissime. Jure bine, quem hic addo, publice Hortum versus, ad rei memoriam, titulum posui. Habetote.

B

Caldarii. Novi. Amplissimi
Retardata. Spe
Parvulum. Interea
Millenianа. Forma
Accomodabat
VII. Calendas. Martias. Anni MDCCXCV.
Dominicus Nocca

Si quam forte, Ufteri fuavissime, optimeque Brugnatelli, in positu, intimaque aedificiorum structura Horti, plurimumque ad Horti ejusdem usum apparatione rerum contemplanda voluptatem cœpistis: quod adhuc restat, sequimini venire spectatum. Domo autem ob id exire necessum est, ac Viretum intrare, quo paucissima forinsecus reliqua ad inspectas nunc aedes pertinentia quodammodo, teneatis. Ego vero, postquam haec vobis ostendero, sermoni statim finem imponam, neque vestra ulterius abutar humanitate, atque patientia. Eminens, propriorque ab anteriori parte suffulta muro humus L sic in Typo signata, longo juxta aedificia tractu excurrens; eodemque quin etiam aedificiorum pariete, postica sua in parte videtis ut sustentata, deserta antehac prorsus erat, & infœcunda. Pingui praeterquam, & opima superposita abunde terra, plus multo quam prius agri solum extuli, parvulis item Coronariis dein plantis donavi, expolivi, nobilitavi. Aliquantillam in eo reficiendo, dedita opera, ipsi tribui divergentiam: ut bu'bi, quos hic ferere consuefco, meridiano soli magis expositi, præmature enascantur, feliciusque efflorescant. Ita vero ex humo tenui, jejuna, inculta, cultus factus est ager, elegans, perjucundus, atque ad rem utilis, pro qua sane nullus in Viridario hoc nostro melior quiret locus reperiri. Restitutae, descriptaeque nuper humo, paullo eminens,

ab eaque itidem nonnihil prostans, vetus Caldarium Litera M superius quoque expressum ac nominatum, amplitudinis est modicæ; ægreque stantis sibi retrorsum parvi Conclavis (sub litera G pariter ante notati, simulque descripti) longitudinem exæquat, atque complectitur. Veruntamen suis minime caret commodis; atque in usu est, eritque etiam in posterum, quoadusque saltem inchoatum recens magnum, aptiusque Caldarium perficiatur. Centenas (vobis ipsis ut reor, ac pono, cuncta hæc observantibus) capit ollas: ejusdemque vitrea lumina, eximio loci positu, solem undique excipientia, certis reddunt temporibus calidissimum.

Singula jam, Viri doctissimi, Mantuæ Botanices Vireti ædificia lustravimus; idque ut idonee, confideratceque fieret, pro mea parte adjuvi; measque ideo Vobiscum deambulando, sine fuco candide intexui, adjecique identidem qualescumque observationes. — De ipso autem seorsim Horto nihil habeo præterea dicere, quam mea efferat historia. Cujus quidem cum repetita, Vobis amice faventibus, fuerit, triennio minus editio promulgata, vires hinc, animosque sumsi, ut hæc etiam circa ædificia, pro ingenii facultate, conscriberem: quæque si cum illis, quæ in priore Opusculo enarravi, conjungantur; ni omnibus expletam numeris, copiosam tamen, integramque magis Vireti Botanici Mantuani historiam composuisse videbor. Valete, ac me totum esse Vestrum, & vero esse debere existimate.

Ex urbe Mantua IIII Nonas Octobres
Anni MDCCXCV.





